



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

VI. Etiam diabolus suos habet martyres.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

sive femina, sive puer, cui fuerit mens firmiter persuasa, sic esse opus facto.

V. Natura satis viriū habet ad tormenta omnia referenda. Id quod puerorū apud Lacedæmonios docent exempla, cruentos flagellorum ictus vultu residentem aspernantium. Natura, vel potius firmo animi proposito inductus Scævola manū ustulanti dedit, & oculo quidē indignabundo, nullā tamē doloris significationē dante adipem in flammā destillantē aspexit, ut hoc facto æternum sibi nomen conciliaret. Feminam quandam Italicam legimus, cōjurationis accusatam, in mediis equulei cruciatibus sibi ipsi linguam demorsam in tyranni facie exspuisse, ne doloribus victa conscios proderet. Quid Horatius Cocles, pro patria fecit? Annon M. Curtius ultero in terribilem illam voraginē se præcipitavit? Lucretia illa quam ob causam sibi ipsa gladio pectus transiit, quam ut castitatem suam æternæ famæ cōmendaret? Hinc Tertul. Quosdā, ait, solius mundanæ gloriæ studio, ignē sustinuisse, & in vestibis ardentibus spacium aliquod viæ emētos esse: alios flagellantibus corpus ac mēbra immota præbuisse; & in arena venatoribus ultero objecisse. At ambitiosa hæc est & affectata cōstantia. Quod si natura ex se tantam vim nō habeat, ut ejus solius ductu atq; impulsu hæretici simulato vultu & ficta quadam magnanimitate ultero in ignē tamquam in lectum rosis constratum se injiciant, aut collum laqueo non secus ac torqui alicui precioso induendum præbeant: adest mox diabolus, quod naturæ deest de suo suppleans, obæcans miseris, eorumq; sensus ita stupefaciens, ut velut extra se positi videantur. Quum enim nōrit in acerbissimo illo animæ & corporis divortio, illam, si partem aliquam cum impœnitentiā (quæ verum est peccatū contra Spiritum Sanctum) habeat, sibi in prædam cedere; omnibus viribus id agit ut miseris istos in peccatis obstinatos, in incredulitate nimis credulos, & in ipso exitio securos reddat, dū eis persuadet, hæc ipsam mortē, vitam ipsis futuram, quæ tamen æternæ mortis est initium. Quam multos enormium criminū convictos, vidimus in ipso supplicii loco innocentiam suam deprædicantes, & dū per plateas ducuntur, se ad martyriū proficisci jactantes: Quam multi etiam pro falsa religione morti se objeciū? Quod ipse vidi atq; audivi, narrabo. Quū Anno MDLXXXVIII. ingens illa ab Hispaniarū rege ad occupandam Angliam armata classis naufragium fecisset, magnus Turcarum qui ad remos sederant numerus ad Galliæ oras eratejectus, vel po-

tius, ut ipsis videbatur, in salutis portum appulsus. Nec Gallorum eis defuit humanitas. Statim enim magistratus jussu & hospitium & cetera ad victum necessaria eis præbita sunt; doctis in super viris negocium datum fuit, ut an suscipiendum baptisimū & amplectendam Christianam religionem persuasionibus suis eos inducerent: quorum exhortationibus ipse interfui. Sed illi omnes una voce, admirabili fiducia, responderunt, prius vitam sibi eripi passuros quā à Mahumetis Prophetæ sui lege discederent. Quod si Fidē suam abnegare voluissent, jamdudum ab Hispaniarum rege sibi & libertatē & necessaria vitæ subsidia eo nomine fuisse oblata. Postquam vero divino beneficio in Franciæ regno pedem posuerint, multo justiore habere causam in sua religione perseverandi, pro qua vitam profundere jam ante parati fuissent. Quid multa? Nec rationes à Theologis nostris allatæ, nec nostræ omnium preces ac promissiones ipsis factæ, à Mahumetana superstitione dimovere eos valuerunt.

VI. Diabolus enim, qui semper fuit & erit Dei inimicus, etiam suos martyres habere voluit, eoq; illorū animos quos ab Ecclesiæ unitate seduxit, specie quadam magnanimitatis armat, quæ veræ cōstantiæ ponderibus appensa atq; examinata, nihil minus quam veras notas & qualitates illius habet: ut quæ ex infernalibus hausta fontibus, brutalitas potius, aut furor vel insania, quam magnanimitas aut cōstantia dicenda sit. Paganos illos prisce videamus. Annon in dæmonum quos colebant, honorē, artus suos incēdebant, lacerabant, adeoq; seipsum pæne totos deglubebat? Id ipsum quidem etiānum Novi Orbis incolæ faciunt, & nec à dæmonū cultu hæc tenus omnino avocari potuerunt. Quæ doctrina umquam rudior fuit aut absurdior quā Mōtani? At quam multi & quam magni viri eam amplexi sunt: ac tantum abest ut pro illius dogmatis licet absurdissimis, mortem subterfugerint, ut etiā ultero eam ambierint. Quod si Donaristarum & aliorum Hæreticorum scripta adhuc exstarent, quæ putas, elogia legeremus eorum, qui pro errorum suorum defensione mortem oppetierunt? Nulli umquam tanto studio vitam suam conservare, quanto illi perdere studuerunt.

Tormentis ultero se objiciebant; & flagris cæsi, sine ulla lachryma, aiebant, ut frumentum quanto melius excutitur & ventilatur, tanto purius est, sic animā, quanto vehementioribus cruciatibus corp⁹ urgetur, tanto melius purgari. S. Aug. fidelis & oculat⁹ ejusmodi spectaculorum testis, Tantū, inquit,

In Donatistis martyrii pro fide obeundi fuisse desiderium, ut catervatim paganorum solemnitatibus sese ingesserint, eisque jugulum & pectus nudum ultero præbuerint, ut occiderentur rogantes. Quinciam quum pagani eadē ejusmodi administrari esse nolent, multos sibi ipsi manus intulisse, mille potius mortes obire quā vel unum suorum dogmatū reraclare paratos. Idem iudicibus, ex commiseratione supplicia differentibus, minabantur. S. Bern. de quibusdam sæculi sui hæreticis loquens, Multos, inquit, obstupuisse, videntes illos non miratū patientia, verum etiam læto vultu ad supplicia & ignem properantes. Nesciebant scilicet miseri, quanta diaboli esset tam in corpora quam animas eorum, in quos semel imperium sibi vendicaverat potentia. Sed quid ego exempla diaboli martyrum quorum multa millia semper habuit, ex præteritorum sæculorū memoria revoco? Quod si numerū vel infamium Adamitarum, vel stultorū Anabaptistarum, qui mortē oppetere quā ab opinionibus suis discedere maluerunt, inire possemus, deprehēderemus profecto, & majorem illorum multitudinem & admirabiliorem constantiā, vel potius pertinaciam fuisse, quam omnium eorum qui umquā vel è Lucheranis vel Calvinistis martyrii coronā honorati sunt. Nullam sectam jam à duodecim sæculis veritatem suæ religionis majori patientia & constantia probare voluisse, quam Anabaptistarū & Adamitarum, Cardinalis Hosius testatur. Narrat Æneas Sylvius, feminas quasdam Adamiticæ sectæ mediis in flammis tamquā in lecto rosis conlato jacentes, Deū, ut ipsæ purabant, canticis celebrasse. De Anabaptistis nostri sæculi idē testatur Iustus Menius, Hosius, Surius & Gastius, qui tanquā novi Anaxarchi, mediis in tormentis carnifici, atque ipsi dolori illudebant, & atrocissima supplicia pro Dei honore (sic enim miseri sibi persuaserant) suæque fidei defensione libenter sustinebant. Anno MDXXXIX reſte Gastio, quum de primario quodā Anabaptistarum Doctore quæstio per carnifices haberetur, ut indicaret, cur nam rebaptisatus esset, ubi suæ religionis affectu cōventus suos haberent, & quoniam illi essent, ille ne gemens quidē ad Officiarios cōversus, mirabili constantia, O vos nihili homines, inquit, cur non potius vitā mihi jam dudū ademitis, priusquam me in obscuro hoc loco tam diu inclusū tenuistis: in quo sol meas quotidie miseras vidit, mihi vero solem ne semel quidē videre licuit. Quid, pessimi homines, miserabile hoc corpus torquetis atque excarnificatis? An ut constantiæ & pa-

tienciæ meæ periculum faciatis? Atqui lingua mea prius palato adhærescet quā fratres meos sic proditura. Tempus nondum adest. Corpus quidē meū in vestra est potestate. Id vos cōburite, laniate, uti vultis. Ad me quidem illud nihil atinet. Novi ego, nihil illud esse nisi faccum stercore plenum. Iesus Christus os mihi obseravit, ut nullum verbum inde egrediatur quod fratribus meis noxam aut præjudiciū afferre possit. Erratis, si doloribus me subigere conamini. Nihil horū anima mea sentit. Nō illa in his tormentis est, sed ob interiorem Dei cōsolationem, gaudio & lætitia exultat. Rebaptisari volui, fateor; neque ejus me pœnitet. Feci enim quod Spiritus S. & S. Scriptura fieri jubent. Sic enim turpem illam & abominabilem vitam reliqui, & regeneratus sum. Deinde ad eum qui proxime adstabat conversus, valide instanti, ut indicatis focis, tantis se tormentis exsolveret, in faciem exspuit, inquit; Vade post me Sathana. Nō intelligis quis S. sit ille Dei Spiritus qui in me loquitur. Depositus ab equuleo, laxatis ac pæne confractis omnibus mēbris, Deus, inquit vobis tantorum dolorum quos pro veræ fidei defensione mihi inflixistis, gratiam ac veniā largiatur. Hæc ille de hæretici hujus pertinacia; quorum multa similia exempla apud eos extant qui sectariæ illius colluviei res literis prodiderunt. Antonius Corvinus qui Anabaptistarum Regis, Leydensis illius factoris, supplicii præfens adspexit, ait, quum tam ipse quam focii ignitis forcipibus lacerarentur, admirabilē præ se ferentes constantiam nihil aliud dixisse, nihil ingeminasse quam illud: Pater, in manus tuas commēdo spiritū meum. Esto mihi auxilio, ð Deus. In ceteris omnibus doloribus, qui multi & diuturni fuerunt, nihil aliud fere ex ipsis auditum. Ille ipse qui Anabaptistarum errores in librum collegit, narrat, vidisse se quamplurimos in aquam & ignem coniectos, ne unum quidem gemitum, doloris indicē, edidisse. Nihil illis frequentius in ore fuisse, quam Salvatoris illam sententiam: Beati qui persequeutionē patiuntur, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Dixisses profecto, ait idem, agnos illos esse, qui ad lanienā ducti, ne os quidem aperiunt. Et hæc quidem constantia nōnullorū è spectatorib⁹ animi ita percussit sunt & attoniti, ut firmissime sibi persuaserint, plenum crudelitatis & Christianis parum dignū esse facinus, talia ejusmodi hominib⁹ supplicia irrogare. Nec mirum sane: quum vitæ simplicitas & in rebus⁹ externis innocētia, perseverantia in agone mortis, crebra divini Verbi usurpatio, ac Dei invocatio

popelli animos admiratione, atq; adeo variis dubitationibus opplerit. Lambertus Hortensius in libro quem De tumultibus Anabaptistarū fecit, auctor est, Anno MDXXXV. ejus sectæ quinque feminas & septem viros ad supplicium productos, sua in supplicio constantia universæ spectantis multitudinis animos in stupore dedisse. Quum Melchior Hofmannus propriæ inter Anabaptistas sectæ cōditor, Argentorati, quo Lindavio se cōtulerat, in vincula esset conjectus, gratias primū Deo egit (ut quidem Obbo Philippus discipulus ipsius scribit) quod hora illa tantopere à se desiderata tandē venisset, qua pro Dei nomine aliquid pateretur: deinde elevatis ad cœlum manibus, per Deum vivum ac sempiternum juravit, nullo alio cibo quā pane, nec alio potu quam aqua usurum, usq; ad eum diē quo illum à quo missus esset, digito sit demonstraturus. Neminem certe ajunt fetorem illum & squallorem carceris, in quo tandem extinctus est, majori constantia pertulisse. De hoc quidem & ejusmodi farinae hominibus recte illud Arceisæ usurpari potest, dicentis: Ecce tibi hominē flagitiosissimum, patientia & cōstantia ad infelicia ac detestabilia scelera abutentem! Idem fecerunt Servetus Geneva, & Valentinus Gentilis Bernæ Helvetiorum supplicio affecti. Vterq; felicitatem suam jactabat, ut qui pro veritatis atq; Evangelii defensione morerentur. Hæ nimirum diaboli artes sunt, ut quos ab Ecclesia semel abduxit, eos quā pertinacissimos reddat, & mulierculis etiā Caronis illius animos inspiret. Nec simplices tantum & rudes, verum etiam doctissimos viros nonnumquā irretit. Cujus rei unum hoc loco exemplum proferā. Testantur rerum Indicarum scriptores, ante aliquot annos hominem quendam exquisitæ eruditionis, nullius morbi aut alienati animi prodente se indicio, inter novitios illos Christianos jactare cœpisse, se Christum esse ac Salvatorem, à Deo Patre ut verum ipsius Evangelium prædicaret missum. Que hominis insania contrariis Patrum Societatis Iesu demonstrationibus abunde refutata, quum carceris diuturnitate ac rædio sanari non posset, vivus ille combustus est. Rogo jam impositus, cantica personabat, Deoque Patri gratias agebat, sublatis in cœlum oculis ejus aperturā, & auxilio accurrentium Angelorum (sic enim sibi persuaserat) præsentiam expectans. Quo & aliis similibus conatibus diabolus teneram illam & adhuc adolescentē Ecclesiam turbare voluit, ut in Antichristo meo ostendi. Martyrem igitur non pœna sed causa facit, ut

Augustinus inquit. Illa æqualis esse potest; hæc diversa est. Vnius causa zelus alterius desperatio est. Ille occiditur; hic coronatur. Quis vero non rideat eorum impudentiam, qui è variis lanienis spissum illud Martyrologii volumen confecerunt; in quorum numero multi sunt ob alia crimina occisi? Pantaleon suo Martyrologio Poltroctum illum, qui ob Guisli Ducis eadem supplicio affectus est, adscribere non veretur. Atqui Mundi à Christo redempti tempore, sol lugubri vulcu dolorem suum quasi restatus; & Salvatorem, & utrumq; latronem, rā bonum quam malum, pariter vidit cruci affixos. Pœna æqualis erat, sed causa dissimilis. S. Augustinus ait, multos atrocissima tormenta perpeffos esse, sed ob peccata; non constantia, sed pertinacia; non ut ii quos persequutus sit, sed quos possederit diabolus. Idem Donatistas suppliciis ultro occurrentes, gravissimis verbis objurgat ac revocat, inquit, quæ patiantur, contra Iesum Christum esse, ut quæ non ad ipsius gloriam, sed ob ipsorum peccata & flagitia patiantur. Magnam esse dementiā, martyrii gloriam eos jactare, qui quum vixerint ut latrones, etiam ut latrones moriantur. Et S. Cyprianus, Quamvis, inquit, ejusmodi homines ob Iesu Christi nomen interficiantur, tamen nec ipsorum sanguine maculam illam elui, nec malitiā supplicio purgari. Quamobrem vero? Quia, inquit, martyr esse non potest, qui sit extra Ecclesiam. Quin etiam si iidem flammis ustulentur, aut à bestiis devorentur, non tamen id Fidei coronam, sed potius infidelitatis ipsorum pœnam; nec vitæ religiosæ finem, sed desperationis fore clausulam Occidit tales posse; coronari non posse. Quod si lectio Platonicæ libri de Animæ immortalitate tantum potuit, ut Philosophus quidam de rupe in mare se præcipitaret, & Cato sibi ipse mortem consciverit: quid mirum hodie etiā nonnullos reperiri, qui opinionis errore decepti, & à diabolo excæcati, nulla supplicia aut tormenta reformident, male facientes, quum benefacere sibi persuadeant? S. Bern. monet, nō mirum hoc nobis videatur: quū diabolus magnā habeat potestatem; ut quos sæpe inducit ut suspēdant se, præcipitēt, aut propriis manibus occidat, eodē modo homines tentans quo Salvatorem, cui persuadere voluit, ut de pinnaculo tēpli se dejiceret. Quantopere vero primus hic Lutheranorum & Calvinistarum fervor ac zelus postea refrixerit, ex sequētibus patebit. Calvinus quidē in scriptis suis passim cineres eorum qui pro Evangelio mortē operierint, magnificè jactat; quem V. Vestphalus Lutheranus

theranus irridens, si Catapaptistæ, inquit, eorum qui in Belgio occisi sunt, inire velint numerum, multo majorem fore. Esto: è Calvini schola prodeuntes quidam maleconfulti discipuli ignis supplicio seipfos objecerunt. Idè certe & olim Anabaptistæ fecerunt, & hodie non minus alacriter faciunt, divinis laudibus martyres suos ad cælum usq; efferentes. Calvino Genevæ septis se continēt, facile fuit miseris illos ac stultos, qui in diversis Christiani Orbis partibus etiam cum vitæ dispendio magistri deliria propugnabāt, his ac similibus verbis animare: Bono animo estote, fratres. Alacriter ad ignē pergite: nullum supplicium aut dolorē formidate. Hæc via regia ad cælum est. Ecce Christum expansis brachiis vos expectantem, & ad æterna gaudia vobis præparata introducere gestiētem. Interim vero bonus ille vir cuti suæ metuens, loco sibi canit, Genevæ mœnibus se includens, neque umquam inde egressus, ne vitæ periculum adiret quod alios fortiter contempere jubebat. De quo facete Ronfardus Poeta Gallicus sic ludit:

*Calvinus annis obitus dudum, quid est
Quod se Genevæ continet, nec Franciam
Adit, ut honorem martyris querat sibi:
Illos Tragædos nempe homo ignavissimus
Imitatur, alios qui subornant, scenicas
Partes peracturos; popello fabula
Vt si minus probetur, ipsi non tamen
Exhibentur, aut sicut ludibrio.*

QVALES ET È QVO HOMINVM GENE-
re fuerint primi novi Evangelii in
Galliis Ministri.

CAPUT SEPTIMUM.

ARGUMENTVM.

- I. Primi in Galliis Lutherani homines ex vulgi se-
ceptiorique omnes fuerunt.
- II. Primus novi Evangelii in Galliis Minister lane
carminator.
- III. S. Scripturæ libri ab hæreticis vulgo ad legēdū dātī.
- IV. Vulgus à sacrarum literarum tractatione abstinere
debet.
- V. Apud hæreticos etiam feminae Ministeriis Eccle-
siasticis fungendis se ingerunt.
- VI. Quam indignum sit, libros sacros in vulgi officinis
& passim profanari.

QVINOVAE Ecclesiæ è variis centonibus novā
pro suo lubitu confarcinarunt Ecclesiasticā

Historiā, ajunt, quemadmodum Deus per res Mundi contemtas & abiectissimas ejusdem superbiæ & arrogantiæ proculcare voluerit, dum scilicet nō Reges aut Principes, sed pauperculos ac rudes pis-
catores elegit, qui Evangelium Mundo annuncia-
rent, sic eundem veram sapientiam ac divini Verbi
cognitionē, sapientibus ac doctis hujus sæculi ab-
scōditā, simplicibus & indoctis revelasse. Primos
enim qui Evangelicæ veritatis cognitionem acce-
perint, homines de plebe, & mechanicis artibus vi-
tā sustentantes fuisse: adeoq; multos qui nullā artē
antea quam mechanicam tractarint, aut terrā ara-
tro profciderint, repēte eximios factos esse Theo-
logos. His tamquam gēmis quum illa Pseudomar-
tyrologia, tum Ecclesiasticæ Historiæ libri, passim
distincti atq; exornati sunt. Alios videas docentes,
alios catechizantes, alios prædicantes, alios evan-
gelizantes, omnes propriam sibi quisq; Fidem suo
marte eudentes, S. Scripturam ad suum sensum de-
torquentes, sacro ministerio sine ulla legitima vo-
catione se ingerentes, & illotis manibus sacra tra-
ctātes; alios ab aliis ad prædicandum Evangelium
deputatos ac missos, omnes vero pari ignorantia
irretitos, omni solida SS. litterarum cognitione de-
stitutos, & in incerto stultarum, erronearū ac fal-
sitarum opinionum, ac sui cerebri cōmentorū falso
fluctuantes. Quod si forte in aliqua re aliqua eis
rationis lux illuceat, profecto idē illis accidit quod
iis qui tenuissimum Lunæ nubibus obrectæ lumē
adspiciunt. Ecce certe similis est ignorantia illis spe-
culis, quæ omnium objectorum imagines falsas, ac
vero multo majores repræsētat. Et sicut olim apud
Judæos Scribæ ac Pharisei Mosaicā legē prædica-
bant, viā tamen suæ ipsorū salutis ignorabant; sic
nostri hi nihil frequentius in ore habent quā Iesum
Christi nomē, nihil tamen minus quā Iesum Chri-
stū agnoscunt. Similis fuit olim Waldensū hære-
ticorum ignorantia, quam nostro sæculo renatam
videmus. Vt enim in arboribus quibusdā & flores
ac fructus uno atq; eodē die enascuntur ac cadūt;
sic ex rusticis atq; imperitissimis hominibus re-
pente scholares, Baccalauri atq; Doctores, si diis
placet, facti sunt. VValdus homo bonarum artium
atq; litterarum ignarus, postquam S. Biblia in vul-
garē linguam Gallicam traduci curavit, certatin
omnes dies noctesq; eorum lectiōi incubuerunt,
adeo ut quidam integros libros memoriter tene-
rent Idem de repentinis ejusmodi, & à mane ad
vesperam natis Doctoribus reformatorū nostrorū
Ecclesiastica prodit Historia. Vix illi à primo limi-
ne lit.